tia ſed celeſti ſapientia. quia docti xpm uere deum. et uere hominem confitentur. et predicant. Conuertere domine uſque quo. More ſuum agit moyſeſ. Conſuetum namque illi fuit dominum iratum palus ſupplicare. unde et crebro dicebat. Quouſque domine iraſcetur furor tuus. parce populo tuo. et multa huiuſmodi. Sic ergo et nunc propheta ex perſona eius officium illius ut ipſius adhuc ſupplex rogans conuerti dominum qui auerſus erat et peccatis iratus. Et deprecabilis eſto. Deprecabilis. id eſt uenerabilis et exorabilis quatinus te facile permittas exorari. Reſpice in ſeruos tuos. id eſt in nos qui peccatores ſumus. uel reſpice in ſeruos tuos. id eſt propitiare illis. Et in opera tua. ſubaudis reſpice. Opera hic intelliguntur homines. qui ſpeciale opus dei ſunt. ad hoc uidelicet creati. ut ſemper conditorem ſuum laudarent. Inde eſt quod dicit reſpice in opera tua. id eſt recordare uidelicet ad quid hominem condideris. Et dirige filios eorum. Filii ſunt opera. qui tunc diriguntur. quando non lubricis ſoli uoluptatibus; nec diabolicis impediuntur famulatibus; ſed potius creatoris dicantur obſequiis. Et ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos. id eſt uexilli dominici triumphus frontibus irradiet. quo eius munimine aduerſus omnis temptatoris inſidias muniamur. Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos. Opera manuum uocat bona opera uirtutes ſcilicet. que tunc ſuper nos diriguntur. quando non pro terrenis lucris. ſed pro ſolo deo. et obtentu celeſtis patrie aguntur. Et opus manuum noſtrarum dirige. Opus manuum ſpecialiter ad caritatis exhibitionem refertur. que in dilectione dei et proximi impletur. que eſt utique finis et perfectio omnium bonorum.

Qui habitat in adiutorio et cetera. Quidam referunt hunc pſalmum ad xpm. ſed melius eſt ut eum in perſona cuiuscumque electi uias uite ingredientis cantatum intellegamus. cui promittitur diuinum auxilium. Hic inquit talis commorabitur. id eſt ſemper manebit. et eternaliter habitabit. Qui habitat in a. a. Id eſt adiutorium altiſſimi. id eſt in protectione dei celi. Altiſſimus enim unum eſt ex decem nominibus dei. Deus autem celi uocatur pro maieſtate celi. quia licet ubique ſit. ſpecialiter celum inhabitare creditur. Dicet domino. ſ. m. e. id eſt fiducialiter loquitur ad eum ille talis electus qui uias uite ingreditur. et qui in eius protectione commoratur. Tu es inquit ſuſceptor meus. qui me ſuſcipis ad te confugientem. ſiue etiam qui naturam meam ſuſcipis. Et refugium meum. ad quem confugio in aduerſa huius ſeculi. deus meus ſubaudis eſt. Quaſi blandiendo eum dominum ſuum appellat iuſtus. ut oſtendat affectum dilectionis. Et re uera cum deus et dominus ſit creature. illius ſpecialiter deus uocatur. qui eius ſolo innititur auxilio. qui nihil preter ipſum requirit. ſed omnem ſpem et omne deſiderium ſuum in eo ponit. Quoniam ipſe liberabit me. Oſtendit uir iuſtus. cuius rei gratia ſpem ſuam in deo ponat. Quoniam liberabit me inquit eripiet et ſaluabit de laqueo uenantium id eſt de fraudibus et dolosis captionibus demonum. Venantes quippe ſunt demones. qui animas hominum laqueis inſidiarum captare deſiderant. Laquei uero eorum ſunt multiplices et milleformes ipſorum calliditates. De quibus uir quidam ſanctus. cum in extaſi raptus uidiſſet laqueos ſuper uniuerſum mundum expoſitos. dixit angelo qui ſecum erat. domine quis euadet iſtos. Reſpondit. ſola humilitas. Et a uerbo aſpero. Verbum aſperum uocat. dogmata hereticorum. blaſphemias iudeorum. contradictiones perſecutorum. Cum inquit electum uirum heretici iudei et pagani infeſtari ceperint. non terrebitur quia a domino in quo ſpem ſuam poſuit liberabitur. In ſcapulis ſuis obumbrabit tibi. Scapule penne et ſcutum methaforice. id eſt tranſlatiue. ſiue per allegoriam in deo ſunt accipienda. Neque certe deus qui incorporeus eſt pennas habet aut ſcapulas. que non niſi in corporibus eſſe poſſunt. Per ſcapulas ergo dei. debemus accipere tolerantiam longanimitatis eius qua electos diu tolerat. et ad penitentiam expectat. Obumbratur ergo electus quilibet ſcapulis dei. quia et ſi peccat non ſtatim punitur. ſed patientia dei ſuſtentatur. Et ſub pennis eius ſperabis. O uir iuſte. qui uias uite ingrederis. ideo ſecurus eris. quia non in temetipſo ſpem habebis. ſed in pennis diuine protectionis quibus te more galline tutabitur. Nam ſe dominus crebro galline in euangelio comparat. Penne huius galline quibus ad alta ſuſtollimur et ſubleuamur. ſunt duo teſtamenta. Sperabis ergo inquit o uir iuſte ſub pennis eius. id eſt fiduciam habebis quod ab eo libereris ſecundum promiſſiones eius que duobus continentur teſtamentis. Alii pennas ut alas dei. accipiunt brachia dei extenſa in cruce. Sperat ergo uir iuſtus ſub pennis domini. quia ſe per paſſionem xpi confidit liberari. Scuto circumdabit te ueritas eius. Scutum. ſignificat diuinam protectionem. Veritas. xpi incarnationem. Viro itaque forti et in acie certanti ſcutum. id eſt auxilium mittitur. quod non parte in corporis obeat. atque ita in preſenti inuulnerabilem exhibens. ſed in futuro remunerandus exhibeat. Nam et ſcutum applicitum pectori protegit. ſuper poſitum uero capiti

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 193 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/193)